

rebus valere putamus, quemadmodum in calculis accidit rationes subducentibus. (De Sophist. Elench. c. 1.)

22. **Quid vocabula significant directe et immediate.** Ad hanc quaestionem sic respondendum videtur, ac dicendum, iis *directe et primario* exprimi conceptum *obiectivum*, seu rationem *intellectam*, nec nisi *secundario* ac *indirecte* tum conceptum *formalem*, tum ipsam rem *materialiter* consideratam. Nam idecirco verbis utimur, ut sensibilem quodammodo nostrum conceptum efficiamus, et suppleatur defectui, qui in ipso est ad rem cum aliis hominibus communicandam, vel, quod perinde est, vocabula exteriora, qua talia, locum tenent ac vices gerunt ipsiusmet conceptus. Ergo debent praestare in significando illud ipsum, quod praestant conceptus. Atqui isti *immediate* exprimunt rem *secundum* rationem illam *obiectivam*, qua ab ipsis concipitur; haec vero ratio *obiectiva* est ipsemet conceptus, qui dicitur *obiectivus*. Sic vocabula *homo, animal, vivens* non exprimunt *immediate* conceptum *formalem* loquentis, cum attentio audientis non ad illum, sed statim ad rem *significatam* feratur, nec etiam exprimunt *immediate* rem, prout in se subsistit, ut ex ipso modo significandi apparet; significant enim naturam abstractam a singularibus, quod minime convenit rei prout in se est. Relinquitur itaque ut significant *primario et immediate* ipsam *obiectivam* rationem *hominis*, in quantum *homo*, ac similiter *animalis, vivens*, et ita porro. Lege S. Thomam (1. *Periherm.* lect. 2.)

LOGICA MINOR

23. **Partitio.** — Tribus capitibus totam hanc tractationem comprehendimus pro triplici operatione propria humanae mentis, quae ordinationi Logicae subieitur. Quoniam vero sensibilia sunt captu faciliora quoad nos, hinc, quae in hac parte Logicae tradituri sumus, potius in orali conceptus expressione considerabimus, quam in ipso mentali conceptu, secundum se inspecto; sic enim praesens tractatio tyronum captui evadet accommodatio. Primo itaque sermo erit de terminis; secundo, de enuntiatione; tertio, de argumentatione.

CAPUT PRIMUM

DE TERMINIS

ARTICULUS I.

Notio termini logici explicatur.

24. **Definitio termini logici.** — *Terminus*, gr. ἔπος, dialectice consideratus, ita definitur a Philosopho in primo Priorum, c. 1. *Terminum cum appello, in quem resolvitur propositio, ut in praedicatum, et id, de quo praedicatur, apposito vel diviso esse et non esse.* Sensus est: terminus vocatur, in quem resolvitur propositio, tamquam in prae-

dicatum et subiectum affirmatum et negatum; particulae enim illae, *apposito vel diviso esse et non esse*, significant, apposita affirmatione per verbum *est*, vel negatione per *non est*. Porro, ut allata definitio explicetur, advertite, nomine *propositionis* in re praesenti, prout ibidem definit Philosophus, intelligi *orationem affirmativam vel negativam alicuius de aliquo*. Quapropter duobus quasi elementis proxime constat. Haec sunt subiectum seu id de quo aliquid affirmatur aut negatur, et praedicatum, seu id quod de subiecto affirmatur aut negatur. Haec autem elementa componuntur invicem, media *copula est vel non est*, quatenus est signum interioris compositionis mentalis, quae in iudicio invenitur. Resolvitur proinde propositio, deumta huiusmodi copula, et quemadmodum subiectum et praedicatum fuerunt ea, quibus *primo* componebatur propositio, ita erunt ea, in quae *ultimo* terminatur resolutio eiusdem propositionis; eo pacto, quo mixta ultimo resolvuntur in elementa, propterea quia lisdem primo componuntur. Haec igitur est ratio, quare subiectum et praedicatum *termini* vocantur, quia videlicet sunt ultima elementa, quae supersunt, peracta dialectica analysi propositionis; siquidem quod ad syllabas et litteras spectat, earum tractatio grammatici negotii est, non logici.

Ex dictis haec facile inferuntur.

I. In omni propositione duo solummodo termini inveniuntur, si nempe propositio sit simpliciter una, non vero coniuncta ex pluribus. Sic si dicis, *Deus creavit mundum*, termini sunt, *Deus*, ut subiectum, praedicatum vero est, *is quid creavit mundum*; siquidem hoc, et non aliud, cum subiecto componitur addito est.

II. Terminus potest esse *mentalis* et *oralis*. Ille est qui mente exprimitur, et in quem resolvitur interius iudicium tanquam in subiectum et praedicatum; hic vero est qui voce exprimitur et ex quo proxime conflatur enuntiatio oralis.

25. **Utrum copula enuntiativa sit terminus.** — Sunt qui volunt, verbum *est*, quo in propositione coniungitur praedicatum cum subiecto, non esse nisi purum syncate-

gorema, quod non aliud munus habeat nisi significandi interiorem compositionem mentalem, quae est propria iudicii. Sed consequenter ad ea, quae latius dicturi sumus inferius, cum de natura verbi erit quaestio, distinguere oportet duplex munus in hoc verbo. Primo enim significat *actum essendi*, et hanc significationem nunquam amittit, tametsi minime forte adhibeatur, ut praedicatum cum subiecto coniungat in oratione enuntiativa. Dein vero significat interiorem compositionem, qua per iudicium mens praedicatum subiecto attribuit; quod propterea non praestat nisi ut copula enuntiativae orationis. Age vero, si primo modo consideretur, hoc ad termini rationem spectat, pro eo quod, ut ait S. Thomas (2. *Periherm.* lect. 2.), *simul cum nomine praedicato facit unum praedicatum*. Cum enim dico, ex. gr. *Petrus est homo*, id, quod de Petro enuntio, est *esse hominem*. Sin autem formalis ratio dumtaxat *copulae enuntiativae* in hoc verbo consideretur, tunc certe non est *terminus*, sed *terminorum unio*. Haec modo sufficial indicasse; ut enim monuimus, paulo inferius haec de re pleniorum explicationem trademus.

26. **Terminorum extensio et comprehensio.** — In utroque termino, sive mentali sive orali, duo veniunt diligenter distinguenda. Vel enim considerari potest numerus seu complexus notarum intelligibilium, unde coalescit formale obiectum termino significatum, vel respicere possumus ad numerum seu amplitudinem subiectorum, de quibus terminus affirmatur vel affirmari potest. Primum constituit termini *comprehensionem*, alterum vero eiusdem *extensionem*. Exemplo sit hic terminus *homo*. Si attendamus ad huius termini *comprehensionem*, haec continetur in hoc quod aliquid sit *rationalis animal*; eiusdem vero termini *extensio* sunt omnia individua humana. Porro haec duo se habent ad invicem in ratione reciproca seu inversa, ita videlicet, ut quo maior est *extensio*, minor sit *comprehensio*, et vice-versum. Sic, in allato exemplo, si hominem individuum, ex. gr. *Petrum* consideres, in tui conceptus comprehensione inveniuntur, tum ea omnia quae sunt in comprehensione *hominis*, tum praeterea notae individuantes, quibus Petrus

secernitur a ceteris hominibus: extensio autem huius conceptus solum Petrum continet, non vero homines ceteros. Contra, si solummodo concipis, quid sit homo, in comprehensione tui conceptus non involvuntur notae distinctivae unius hominis ab alio, sed ea tantum quae sunt de ratione hominis, prout est homo: id vero quod concipis, de omnibus et singulis hominibus affirmari potest.

ARTICULUS II.

Partitiones terminorum, ac primo de univocis, aequivocis, et denominativis.

27. **Praenotandum.** — Cum exposuerimus de natura terminorum, quae Logicae tyronibus scitu necessaria videbantur, disciplinae ordo postulat, ut praecipuas partitiones, in quas termini tribuantur, enumeremus, quo facilius pateat mutus nexus, quo devincuntur et suis cuique locus tum in iudicando, tum in discurrendo assignetur. In hac porro partitione exordimur a terminis *univocis, aequivocis, et denominativis*, ac specialem hunc articulum conficiamus: res enim est momenti non levis, et ad rectam intelligentiam eorum, quae dicturi sumus, ac primum necessaria. Hinc Aristoteles hanc doctrinam in ipso suae Logicae quasi vestibulo collocavit.

28. **Quid terminus univocus, quid aequivocus.** — Terminus univocus dicitur, qui pluribus tribuitur *iuxta eandem significationem*: aequivocus vero, qui *significatione diversa*. Sic homo est terminus univocus respectu individuorum humanae speciei: e converso vox *canis* relate ad brutum quoddam terrestre, ad piscem marinum, et ad constellationem determinatam. Quapropter, ut diiudices, num terminus aliquis *univocis* dicatur nec ne, primo quidem inspicenda sunt ea, de quibus dicitur; dein vero expendenda

est significatio, quae in tali appellatione habetur. Hinc Aristoteles non terminum univocum aut aequivocum, sed res ipsas univocas vel aequivocas definit his verbis. "Aequivoca dicuntur, *quorum nomen solum commune est, at secundum illud nomen definitio substantiae* (intellige *quidditatem*) *diversa*; v. g. *animal* tum hominem significare potest tum picturam. Horum enim nomen solum commune est, at secundum illud nomen definitio substantiae diversa: nam si quis explicet, quid sit utriusque illorum, cuius ratione animal sit, propriam utriusque definitionem afferet. Univoca autem dicuntur, *quorum et commune nomen est, et secundum illud nomen definitio substantiae eadem*: v. g. *animal* et hominem et bovem significare potest. Homo enim et bos communi nomine animal dicitur, et definitio substantiae est eadem: nam si quis explicet, quid utriusque horum sit, cuius ratione animal sit, eandem reddet definitionem." (*Categ. c. 1.*)

29. **Denominativa.** — Post definitionem univocorum et aequivocorum, Philosophus definit ea, quae *denominativa* dicuntur: medium quippe locum obtinent inter univoca et aequivoca, et ad haec plenus intelligenda valde conducunt. *Denominativa* proinde dicuntur, quae *ab aliquo, dissidentia casu, hoc est, nominis inflexione, appellationem habent*. Hoc modo arbor denominatur *florens a floribus, paries albus ab albedine, christianus a Christo*. Subiectum, quod huiusmodi appellationem recipit, vocatur *denominatum vel denominativum*; id, a quo appellatio sumitur, dicitur *forma vel quasi forma denominans*. Quocirca duo requiruntur, quo aliqua denominative dicantur. Alterum, quod forma ac formam recipiens sint distinctae naturae nec sint aliquid simpliciter unum: quod designant verba in definitione posita, quae *ab aliquo*; id enim distinctionem indicat. Quare homo, ex. gr. non dicitur denominative ab *humanitate*: e converso, substantiae denominantur a suis accidentibus, ut *sapientis a sapientia, album ab albedine*. Secundo requiritur, ut subiectum et forma partim convenient, partim differant sive in nomine sive etiam in ratione nomine significata, ut videre est in exemplis allatis: et in hoc differunt ab uni-

vocis et aequivoicis; haec enim idem nomen habent, ratio autem nomine expressa, quandoque est eadem omnino, quandoque plane diversa.

30. **Aequivoeca a casu, et a consilio.** — Porro duplici modo fieri potest, ut idem nomen in diversa eiusdem nominis acceptione pluribus attribuatur. Primus modus habetur, quando eadem vox imponitur ad plura significanda casu quodam fortuito, quin ratio ulla sit quae ad hoc moveat. Hoc modo idem nomen, ex. gr. Petrus, imponitur a diversis parentibus propriis filiis designandis. Haec dicuntur *aequivoeca a casu*. Secundus modus habetur, cum talis communio nominis eiusdem fit consideratione et ratione quadam. Huiusmodi nomen dicitur *aequivoecum a consilio*; ac duplex est, videlicet *a consilio pure aequivoecum*, et *analogum*. Illud habetur, quando vox plura significat non propter ordinem existentem in rebus ipsis quae significantur, sed propter aliquid *ex parte imponentis*: ut si quis imponat nomen *Petri* filio suo ob memoriam progenitorum, qui tali nomine vocati sunt, vel quia sperat illum fore Beato Petro Apostolo deditum. *Analogum* vero est, quod plura significat propter ordinem sive proportionem in ipsis existentem. Sed hoc ulteriorem postulat explanationem.

31. **Quid analogia ac terminus analogus.** — *Analogia* secundum vim nominis idem est ac *proportio*, ac proinde aliquid praedicari seu dici secundum analogiam *nihil est aliud dictu*, ait S. Thomas (Qg. Disp. *Verit.* q. 2. a. 11.), *quam secundum proportionem*. Consonat Tullius his verbis: "Quae graece *ἀναλογία*, latine comparatio proportiove dici potest." (Cf. Facciolati). Terminus proinde *analogus* is appellatur, qui de pluribus dicitur *propter aliquam proportionem eorum*. Ea vero, de quibus dicitur, habito respectu ad hunc terminum, appellantur *analogia seu analogata*. Res illa, cui terminus primario convenit, vocatur *analogatum principale*; ceterae vero *analogata secundaria*. Exemplo sit terminus *sanum*, qui analogice dicitur de *animali* et de *medicina* ob proportionem scilicet causae ad effectum existentem inter medicinam et sanitatem

animalis: eius analogatum princeps est animal, medicina vero secundarium.

32. **Prima divisio analogiae.** — Porro omnis analogia seu proportio accipitur, ait S. Thomas, "Secundum ordinem vel respectum ad aliquod unum. Quod quidem dupliciter contingit. Uno modo secundum quod multa habent respectum ad aliquod unum, sicut secundum respectum ad unam sanitatem animal dicitur *sanum*, ut eius subiectum; medicina, ut eius effectivum; cibus, ut eius conservativum; urina, ut eius signum. Alio modo, secundum quod duorum attenditur ordo vel respectus non ad aliquid alterum, sed ad unum ipsorum; sicut ens de substantia et accidente dicitur, secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, non secundum quod substantia et accidens ad aliquod tertium referantur." (2. *Cont. Gent.* c. 34.) Hic posterior analogiae modus dicitur *unius ad alterum*: quae vero priori modo sunt analogae, sic vocantur analogiae *ad tertium*, ut patet in voce *Christianus*. Appellatur enim a Christo homo christianus, lex christiana, mores christiani, etc.

33. **Analogia proportionis et proportionalitatis.** — Analogia seu proportio *unius ad alterum* duplex est, merae *proportionis* (seu *attributionis* ut alii loquuntur), et *proportionalitatis*. Apposite rursus Angelicus Doctor. "Convenientia secundum proportionem potest esse duplex; et secundum hoc duplex attenditur analogiae communitas. Est enim quaedam convenientia inter ipsa, quorum est ad invicem proportio, eo quod habent determinatam distantiam vel aliam habitudinem ad invicem, sicut binarius cum unitate eo quod est eius duplum. Convenientia etiam quandoque attenditur duorum ad invicem inter quae non fit proportio, sed magis *similitudo duarum ad invicem proportionum*: sicut senarius convenit cum quaternario ex eo quod sicut senarius est duplum ternarii, ita quaternarius binarii. Prima ergo convenientia est *proportionis*, secunda autem *proportionalitatis*. Unde et secundum modum primae convenientiae invenimus aliquid analogice dictum de duobus, quorum unum ad alterum habitudinem habet, sicut

ens dicitur de substantia et accidente ex habitudine quam substantia et accidens habent..... Quandoque vero aliquid dicitur analogice secundo modo convenientiae: sicut nomen visus dicitur de visu corporali et intellectu, eo quod sicut visus est in oculo, ita intellectus est in mente. (Qq. Disp. Verit. q. 2. a. 11.)

34. **Analogia secundum esse, et secundum intentionem.** — Alia divisio analogiae, quae maxime considerari debet, ea est, quam idem S. Doctor tradit. * Dicendum, aut, quod aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter: vel *secundum intentionem tantum et non secundum esse*; et hoc est quando una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno; sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam, et dietam diversimode secundum prius et posterius; non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali. Vel *secundum esse et non secundum intentionem*; et hoc contingit, quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis. Unde Logicus, qui considerat intentiones tantum, dicit hoc nomen *corpus* de omnibus corporibus univoce praedicari: sed esse huius naturae non est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus. Unde quantum ad metaphysicum et naturalem, qui considerant res secundum suum esse, nec hoc nomen *corpus*, nec aliquid aliud dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus, ut patet 10. Metaph. ex Philosopho et Commentatore. Vel *secundum intentionem et secundum esse*: et hoc est quando neque parificatur in intentione communi, neque in esse: sicut ens dicitur de substantia et accidente: et de talibus oportet, quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis. (1. Dist. 19. q. 5. a. 2. ad 1.)

35. **Notatu dignum in distinctionem praecedentem.** Analogia secundum intentionem tantum ab aliis vocatur analogia *per denominationem extrinsecam*; quae vero

a S. Thoma dicitur analogia secundum esse simul et intentionem, ab iisdem vocatur analogia *per denominationem intrinsecam*. Porro sedulo notanda sunt quatuor discrimina inter hunc duplicem analogiae modum. Primum est, quod in priori analogia nomen tribuitur secundario analogato non proprie, sed per metaphoram aut figuram aliam: contra, in posteriori analogia utrique tribuitur proprie, immo et essentialiter. Sic nomini animal proprie dicitur sanum, quia ipsum solum est sanitatis subiectum: e converso non modo substantia, sed etiam accidens, proprie et essentialiter sunt entia, etsi non eodem modo. Differant secundo, propterea quod in priori analogia secundarium analogatum definitur et intelligitur per principale, non vero in posteriori. Sic non possum intelligere, quid sit medicinae esse *sanum*, nisi intelligam quid sit sanitas in animali: contra, ut intelligam accidens esse *ens*, non opus est, ut intelligam proprium modum quo substantia dicitur ens. Praeterea, et hoc est tertium discrimen, in prima analogia non datur *unus conceptus obiectivus* communis omnibus analogatis. Ratio enim obiectiva, quam significat nomen, puta *sanitas* significata per vocem *sanum*, proprie non inest nisi principali analogato seu animali. Contrarium accidit quoad alterum modum analogiae propter rationem oppositam. Hinc oritur quartum et ultimum discrimen: nempe nomen analogum priori attributione nequit esse medium demonstrationis, secus committeretur equivocatio: at bene adhiberi potest in posteriori. Vide Suarez (*Metaph. D. 28. sect. 3. n. 14.*)

ARTICULUS III.

Reliquae partitiones terminorum recensentur.

36. **Summatim enumerantur.** — Hae partitiones promiscue utrique termino tum mentali tum orali tribuuntur, ac conceptui conveniunt praecise in quantum est *obiectivum*: cum enim haec ratio reperitur etiam in eius

expressione orali, huic etiam praedictae partitiones tribui debent. Iam age, terminus, prout est obiecti signum, dupliciter considerari potest, videlicet ratione obiecti significati, et ratione modi in significando. Rursus, partitiones terminorum ratione obiecti significati, vel eis conveniunt absolute, vel comparative ad invicem: quae vero absolute, aliae habentur, attenta ideae comprehensione, aliae vero, attenta eiusdem extensione. De singulis pauca.

37. **Partitiones attenta ideae comprehensione: ac primo de terminis primae et secundae intentionis.** Si terminus absolute consideretur in sua comprehensione, primo dividitur in terminum primae, et secundae intentionis. Terminus primae intentionis, qui et realis dicitur, est ille, qui exprimit obiectum secundum praedicata realia, quae videlicet ei conveniunt secundum se, non vero quatenus est a mente cognitum. Exemplo sit *homo, animal*. Quod enim haec res sit *homo*, vel *animal*, id ei convenit citra mentis considerationem. Terminus secundae intentionis, quem logicum etiam vocant, is est qui rem exprimit secundum praedicata logica, quae scilicet ei non insunt nisi propterea quod obicitur cognitioni mentis. Huiusmodi est *cogitatum, definitum, praedicatum*, quae exprimunt rem prout terminat actum mentis cognoscentis, vel definitis vel affirmantis seu negantis. Dicitur primae intentionis, vel secundae, quia mens primo directe fertur in rem secundum quod est in se; deinde vero, reflectendo in suam cognitionem, considerat obiectum prout cognitionem terminat. Confer quae supra diximus [11].

38. **Termini finitantes, et infinitantes.** — Secundo dividitur in terminum finitum seu finitantes, et infinitantes. Ille est, per cuius affirmationem determinatur aliquid quod res est: iste vero per cuius affirmationem determinatur solum aliquid quod res non est. Exemplum prioris habebis, si dicas *homo*; alterius vero, si dicas *non homo*. Quapropter infinitate terminum perinde est apud logicos, quam termino exprimenti, quid res aliqua sit, simpliciter praefigere particulam *non*; ut si dicas, *Brutum est non homo*.

39. **Terminus copulativus, et non copulativus.** — Tertio dividitur in copulativum seu collectivum et non copulativum. Terminus copulativus est qui *plura, ut plura, in unum aggregata significat*; ex. gr. *exercitus*. Ceteri vero sunt termini non copulativi, ex. gr. *Petrus, homo, domus*.

40. **Partitiones terminorum attenta ideae extensione. Obiectum universale.** — Si vero terminus absolute consideretur secundum extensionem eorum, de quibus dicitur, habetur vulgata divisio termini in *singularem et universalem*, prout obiectum significat universale vel singulare. Universale autem obiectum definitur: *Unum quod in pluribus esse potest, ita ut in iis multiplicetur, et de singulis per identitatem affirmari queat*. Quocirca tria ad hanc universalitatem requiruntur. Primo, *obiecti unitas*, non quidem realis sed rationis, quatenus videlicet unico conceptu obiectivo contineatur. Termini proinde pure aequivoçi, et etiam analogi per denominationem extrinsecam non sunt termini universales: ut enim supra dictum est [35], eis, qua talibus, non respondet una ratio obiectiva. Secus dicendum de terminis analogis secundum intentionem et esse, seu per denominationem intrinsecam, ex. gr. *ens*. Secundo requiritur, ut huiusmodi obiectum ita in pluribus subiectis reperiat, ut in iisdem vere *multiplex* evadat: ex. gr. *homo*, in quantum huiusmodi. Ita enim humanitas reperitur in singulis hominibus, ut tot habeantur homines quot sunt individua de quibus praedicatur. Contra, *Deus* non est terminus universalis: etsi enim de singulis personis Sanctissimae Trinitatis affirmatur, et unaquaeque earum verissime est *Deus*, non tamen sunt tres *Dii*. Tertio requiritur, ut ita in pluribus subiectis insit, ut de singulis praedicetur per identitatem, seu, ut alii loquuntur, ut unumquodque eorum sit idem quod ipsum. Hinc termini collectivi respectu partium collectionis, quam exprimunt, non sunt termini universales: ex. gr. *exercitus* respectu militum; non enim singuli milites sunt exercitus, sed eius partes duntaxat. Haec in praesenti sufficient de hac re: uberior enim pertractatio opportuniore loco dabitur.

41. **Obiectum singulare.** — Per oppositionem ad uni-

versale facile intelligitur obiectum *individuum* seu singulare, et est *id quod, unum aliquod cum sit, in pluribus esse et de pluribus suapte natura divisim praedicari seu affirmari nequit*: ex. gr. *Plato, hic homo, Deus*. Cf. Fonseca Isag. Porphyrii. Quoniam vero intimam cuiusque individui naturam non cognoscimus, hinc fit ut individua non discernimemus ad invicem, nisi per quasdam notas sensibiles extrinsecas, quae *individuantes* dicuntur, ac his versiculis continentur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

42. **Terminus particularis.** — Medio quodam modo universalem inter et singularem habetur terminus particularis, ex. gr. *aliquis homo*. Obiectum eo expressum dici solet *individuum vagum*. Convenit cum universali, quia de pluribus dici potest: differt vero, quia eius extensionem limitat. Convenit etiam cum singulari, quia terminus particularis, ex. gr. *aliquis homo*, unum tantum significare potest: differt vero, quia singularis unum refert *determinate*, particularis vero *indeterminate*.

43. **Termini transcendentis.** — E terminis universalibus quidam omnia omnino entia comprehendunt, alii vero certae eiusdem classis dumtaxat. Illi dicuntur *transcendentes*, ac sex enumerari consueverunt, videlicet *res, ens, aliquid, unum, verum, bonum*. Patet, huiusmodi terminos omnes esse analogos: cum enim omnia suo ambitu comprehendant, necesse est ut expriment tum id, in quo res conveniunt, tum id in quo differunt, ac proinde cum de pluribus dicuntur, id fieri debet ratione nec omnino eadem nec omnino diversa, quod proprium est analogorum.

44. **Partitiones terminorum prout invicem comparantur.** — Termini hoc modo accepti dividuntur in *pertinentes* seu connexos, et *impertinentes* seu inconnexos. Illi sunt *quorum unus alium infert vel excludit*; ex. gr. *homo, rationalis; homo, asinus*: hi vero *qui neque affirmatione neque negatione invicem colligantur*; ut *homo, niger*. Termini, quorum unus alium infert, dicuntur *convertibiles*, si mutuo se inferant, ut *homo, risibilis*; secus vero *homo, animal*.

Termini vero, quorum unus alium excludit, generatim dicuntur *oppositi*, atque obiecta inter se opposita expriment. Opposita autem sunt, *quorum unum de altero negare oportet*, seu, quod in idem recidit, *quorum unum non est alterum*. Haec porro, si multis et non certa lege opponuntur, *improprie* opposita vel etiam *disparata* dicuntur, ut *homo, leo*: sin autem uni tantum et sub determinata quadam habitudine repugnant, *proprie* opposita nuncupantur.

45. **Quatuor opposita.** — Iam age, oppositio propria dicta quadruplex est, *contradictoria, privativa, contraria, relativa*. Contradictoria est, quae viget inter ens et non ens, ac proinde contradictorie opposita sunt, quorum unum simpliciter negat vel tollit, quod aliud affirmat vel ponit; ex. gr. *homo, non homo*. Privativa est ea, quae intercedit inter ens et privationem eius: privatio autem est *negatio formae in subiecto apto*, ut *caecitas*. Contraria intercedit inter duo, quae sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subiecto mutuo se excludunt: hoc pacto, in genere qualitatis, se habent *virtus et vitium, scientia et error*. Relativa denique intercedit inter duo positiva, quorum unum ad aliud ordinem seu habitudinem habet, ut inter *patrem et filium*.

46. **Partitiones terminorum secundum modum significandi: ac primo, de termino categorematico et syncategorematico.** — Partitiones terminorum, quae ex ultimo capite desumuntur, hoc est, ratione *modi in significando*, sequentes praecipue enumerantur. Primo itaque dividitur terminus in *categorematicum* et *syncategorematicum*. Ille est, *qui seorsum sumptus aliquid ita significat, ut sine consorcio alterius possit esse subiectum vel praedicatum propositionis*: secus habetur terminus *syncategorematicus*. Exemplum primi est *homo, albus*: alterius *omnis, aliquis*, adverbia, casus obliqui, et cetera huiusmodi. Hinc termini praedicti se habent in propositione eodem modo ac vocales et consonae in pronuntiatione.

47. **Terminus complexus et incomplexus.** — Secundo dividitur in *complexum* et *incomplexum*. Ille est *cuius partes seorsum acceptae fungi queunt munere termini eandem si-*

gnificationem habentes quam simul sumptae. Huiusmodi est praedictatum propositionis sequentis, *Petrus est homo pius*; vel etiam orationes integrae, quae adhibentur ut subiectum vel praedicatum, ut si dicas, *Deum esse mendacem est impossibile*. Qui secus se habent, dicuntur termini incomplexi, ut *homo, respublica*.

48. **Terminus concretus, abstractus.** — Tertio dividitur in *concretum et abstractum*. Terminus concretus definitur ille, qui subiectum significat, prout forma aliqua eiusve carentia afficitur; ex. gr. *homo, albus, coecus*. Termini vero abstracti dicuntur, qui formam aliquam eiusve carentiam, ut per se stantem, ac remoto subiecto, significant; ex. gr. *humanitas, albedo, coecitas*. Denominationes formae et subiecti in praesenti sunt metaphoricæ. Intellectus enim humanus nequit res concipere nisi per proprietates seu notas, quibus nobis res manifestantur. Hinc fit, ut res illae considerari possint veluti latentes, seu stantes vel iacentes sub illis proprietatibus easque sustentantes. Hinc subiecti denominatio. Hæc vero proprietates formae dicuntur, metaphora deprompta a materia informi, puta cera liquescenti, quae typo aliquo constricta formam ipsius refert. Quemadmodum enim cera hæc primitus liquescens et informis, cum fuerit sub typo constricta, ad huius imitationem formatur ac determinatam aliquam figuram accipit; consimili ratione, res primitus quasi indeterminata, accedentibus proprietatibus formatur, ut sit talis et non alia.

49. **Notatio duplex in praecedentem divisionem.** — Hic vero duo sedulo notare oportet. Primo: terminus concretus duplex significatum habet, videlicet *materiale*, seu subiectum, quod est veluti materia, ut dictum est, et *formale*, seu forma aut quasi forma eiusve carentia. Ex. gr. *homo* significat *materialiter* subiectum seu *suppositum* humanitate praedictum; significat vero *formaliter* hanc ipsam humanitatem seu naturam humanam. Illud dicitur significari *in recto*, hæc autem in *obliquo*. Nam mens in intelligendo recta tendit in subiectum, cuius proprietates intelligit; nam harum proprietatum ope subie-

ctum ei fit intelligibile: in his vero proprietates seu notas tendit quodammodo *oblique*, quia intelliguntur ut aliquid *in* vel *circa* subiectum, earumdemque notitia ad notitiam subiecti ordinatur. Hic vero diligenter observa, non eadem perfectione utrumque significari. Subiectum enim significatur *obscure*, forma vero eiusve carentia *expresse* et *clare*. Sic homo expresse quidem significat humanitatem; significat etiam suppositum humanitatem habens, sed non hoc prae illo. Secundo: abstractio propria termini abstracti minime transferenda est ad rem significatam, quippe se tenet dumtaxat ex parte modi *in significando*. Apposite S. Thomas, " Multis, ait, accidit error circa formas ex hoc quod de eis iudicant sicut de substantiis iudicatur: quod quidem ex hoc contingere videtur, quod formae per modum substantiarum signantur in abstracto, ut albedo vel virtus vel aliquid huiusmodi; unde aliqui *modum loquendi sequentes*, sic de eis iudicant ac si essent substantiae." (Qq. Disp. *De virt. in communi*, a. 11.)

50. **Terminus absolutus et connotativus.** — Quarto ac ultimo dividitur terminus, inspecto significandi modo, in *absolutum et connotativum*. Ille est qui significat *ad instar per se stantis*: hic vero qui significat *ad instar ad iacentis*. Termini absoluti sunt *homo, albedo, ars*; connotativi *humanus, albus, artifex*. Hinc intelliges, latius patere concretum quam connotativum, neque omnem connotativum esse adiectivum; licet omnis terminus connotativus sit concretus, et omnis terminus adiectivus sit connotativus.

ARTICULUS IV.

De proprietatibus terminorum.

51. **Argumentum.** — Quae in hoc articulo dicemus, etsi orali termino praecipue conveniunt, maxima tamen

ex parte conveniunt etiam termino mentali: sunt praeterea momenti non levis, ut conceptus rite ordinantur ad consequentem finis, qui a Logica intenditur. Porro haec proprietates aliae insunt terminis in se inspectis, aliae terminis prout mutuo afficiuntur. Primi generis potissima est *suppositio*; ad alteram vero pertinent *appellatio*, *status*, et *ampliatio*, *restrictio* et *diminutio*, *alienatio* denique ac *revolutio*.

52. **Quid terminorum suppositio et quae eius necessitas.** — Suppositio, quatenus est logica terminorum proprietates, nihil est aliud nisi *usus termini in propositione secundum aliquam determinatam eiusdem acceptionem*. Oritur haec proprietates ex duplici capite, videlicet ex indifferentia terminorum ad varias acceptiones secundum quas adhiberi potest, et ex necessitate coarctandi eam in propositione. Haec enim determinatum iudicium exprimit: iudicium vero determinatum est de re determinata, ac similiter termini, qui loco rerum in propositione substituantur. Id vero praestat haec proprietates, quae ideo suppositio nuncupatur, quia termino ultimur ut manifestemus rem, de qua loquimur, eamque veluti sub aspectu ponamus. Confer quae diximus [21].

53. **Suppositio materialis, formalis.** — Suppositio dividitur in *materialem* et *formalem*. Illa est *usus termini pro sono tantum oris*, ut si dicas: *Homo est vox*. Potest esse proinde naturalis et artificiosa, prout sumitur hic sonus secundum id quod a natura ipsa sortitur, quemadmodum videre est in exemplo nuper allato; vel secundum id quod sonus habet ab arte, ut si diceret: *Homo est nomen*. Suppositio vero *formalis* est *usus termini pro re a sono distincta*, ut *homo est animal*. Est propria vel impropria, secundum quod in significatione propria vel translata usurpatur.

54. **Suppositio realis, logica.** — Suppositio formalis subdividitur in *realem* et *logicam*. Realis est *usus termini prout denotat obiectum quoad eius praedicta realia*; altera vero est *usus termini prout denotat obiectum secundum eius praedicta logica*. Regula ad diagnoseendum, utrum termi-

nus supponat realiter vel logice, haec est. Quando illud quod affirmatur de aliquo termino verificatur de ipso independenter a conceptu cui substat, tunc ille terminus suppositionem habet realem: quando vero, quod affirmatur, convenit termino ratione conceptus, cui substat, tunc suppositio logica habetur. Exempligratia, cum dico *Homo est animal*, id quod de homine affirmatur, animalitas videlicet, verificatur de eo independenter a meo conceptu: licet enim ego nihil concipiam de homine, hic tamen non desinit esse animal. E converso, cum dico *Homo est species*, id quod homini attribuitur, ratio videlicet speciei, convenit ipsi in quantum terminat conceptum universalem eumque specificum. Ex quo intelliges, etiam terminos logicos posse supponere tum logice tum realiter: logice quidem, si dicerem, *species est suprema, intermedia, vel infima*; id enim convenit speciei quatenus novae cognitioni reflexae subicitur: realiter vero, si dicam, *species est praedicabile*; id enim convenit speciei ex propria intrinseca eius natura. Adverte denique terminos, qui logice supponunt, dici etiam supponere *secundo intentionaliter*; qui vero realiter, *primo intentionaliter*: qui loquendi modus ex iis, quae supra dicta sunt, facile intelligitur [11].

55. **Suppositio absoluta, personalis.** — Suppositio realis subdividitur in *absolutam* et *personalem*. Absoluta est *acceptio termini secundum quod significat naturam absolute consideratam*; ex. gr. *Homo est animal nobilissimum*. Personalis vero est *acceptio termini pro natura secundum esse quod habet in suis individuis*; ex. gr. *Hic homo, vel omnis homo est mortalis*. Apposite S. Thomas. * Natura vel essentia sic accepta (h. e. expressa per nomen *homo* vel *animal*) potest dupliciter considerari. Uno modo secundum naturam et rationem propriam, et haec est *absoluta consideratio ipsius*; et hoc modo nihil est verum de ea dicere nisi quod conveniat sibi secundum quod huiusmodi; unde quidquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio. V. g. homini, in eo quod est homo, convenit rationale et animal et alia quae in eius definitionem cadunt: album vero vel nigrum vel quodcumque huiusmodi,

quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo Alio modo consideratur secundum quod habet esse in hoc vel in illo: et sic de ipsa praedicatur aliquid per accidens ratione eius in quo est, sicut dicitur quod homo est albus, quia Socrates est albus, quamvis homini non conveniat in eo quod est homo. (Op. XXVI al. XXX. *De Ente et Essentia*, c. 3.) Ex quo facile intelliges, terminos, qui absolute supponunt, posse supponere etiam personaliter. Sic potes dicere, *Homo est animal*, in quo habes suppositionem absolutam; et *omnis homo vel aliquis homo est animal*, in quo haberes suppositionem personalem. Sed minime potes absolute pronuntiare, *Homo est musicus*, licet verum sit, quod *aliqui homines sunt musici*.

56. **Suppositio communis et discreta.** — Suppositio personalis subdividitur in *communem* et *discretam*, prout terminus communis accipitur secundum totam, vel secundum partem dumtaxat suae extensionis. Hinc utraque bifariam rursus distribuitur.

57. **Suppositio collectiva et distributiva.** — Si enim terminus communis accipitur secundum totam suam extensionem, inferiora quae hanc extensionem component, vel simul vel seorsum accipiuntur. Si primum, habebis suppositionem collectivam, ut si dicas *Apostoli sunt duodecim*: si secundum, suppositio erit distributiva, ex. gr. *Omnes Apostoli fuere vocati a Christo*. Quocirca suppositio collectiva sic definitur: *Usurpatio termini communis pro suis inferioribus ita enumerandis, ut solum de omnibus simul sumptis verificari possit oratio*. Distributiva contra est: *Usurpatio termini communis pro suis inferioribus ita enumerandis ut de singulis seorsum acceptis verificari possit oratio*.

58. **Distributiva completa, incompleta.** — Suppositio rursus distributiva potest esse *completa* vel *incompleta*. Completa est cum terminus communis usurpatur pro omnibus et singulis individuis; et dicitur esse *pro singulis generum*: ut *Omnis homo est rationalis*. Alia est cum terminus communis ponitur pro singulis generibus vel spe-

ciebus; et dicitur esse *pro generibus singulorum*: ut *omne animal fuit in arca Noe*. Utraque rursus vel est distributiva simpliciter, vel accommoda *seu cum exceptione*. Huius postremae exemplum est, cum dicitur *omnes homines peccaverunt in Adam*; excipitur enim Christus Dominus eiusque Mater Immaculata.

59. **Suppositio singularis, particularis, disiuncta, disiunctiva.** — Suppositio discreta dicitur *singularis*, si terminus communis supponat pro aliquo vel aliquibus e suis inferioribus determinate sumptis; ex. gr. *Hic homo est doctus*. Sin vero usurpatur pro aliquo vel aliquibus indeterminate sumptis, suppositio erit *particularis*; ex. gr. *Aliquis homo est doctus*. Haec posterior duplex rursus distinguitur a dialecticis, videlicet *disiunctiva* et *disiuncta seu confusa*. Suppositio disiunctiva est *ceptio termini communis pro aliquo e suis inferioribus, eoque indeterminate, ita tamen ut de aliquo seorsum sumpto possit oratio verificari*. Quapropter inferiora enumerari debent ita ut multiplicentur propositiones pro numero individuorum, eaeque coniungantur per particulam *vel*; exempligratia, si dicas: *Aliquis Apostolus fuit proditor*, perinde est ac si dicas: *Vel Petrus fuit proditor, vel Joannes fuit proditor*, etc. Suppositio vero disiuncta vel confusa est *ceptio termini pro aliquo e suis inferioribus, eoque indeterminate, et quidem ita ut de nullo seorsum possit oratio verificari, sed solum cum aliis disiunctim accepto*. Quapropter enumerari debent substituendo terminum communem eius inferiora comexa per particulam *vel*, sed non multiplicando propositiones; ex. gr. si dicis: *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, sic exponi debet, videlicet, *Vel dexter, vel sinister oculus requiritur ad videndum*. Haec posterior locum habet quoties non factum aliquod affirmatur, sed necessitas seu exigentia ad aliquid; haec enim potest ferri ad plura indeterminate ita, ut in nullo seorsum ab alio reperiatur.

60. **Appellatio terminorum.** — E proprietatibus, quae respiciunt terminos prout unus ab alio afficitur, prima et praecipua est appellatio. Haec porro definitur: *Appellatio*

significationis unius termini ad rem significatam per alium. Terminus cuius significatio transferatur, dicitur *appellans*; ille vero, cui talis significatio applicatur, dicitur *appellatus*. Hinc omne praedicatum est terminus appellans respectu sui subiecti: utrumque vero potest ulterius esse terminus appellatus respectu alterius. Porro cum terminus qui appellatur, est concretus, appellatio potest esse *materialis* seu *in recto*, vel *formalis* seu *in obliquo*, prout applicatio significationis unius termini fit ad materiale vel formale significatum alterius. Sic si dicis, *Album est coloratum*, praedicatum appellat suum subiectum formaliter et in obliquo: coloratum enim convenit albo, ratione albedinis. Contra, si dicis, *Hoc album est dulce*, subiectum appellatur materialiter et in recto: dulcedo enim ei convenit non ratione albedinis, sed ratione subiecti, quod albedine afficitur. Praedictum discrimen videre poteris etiam in nominibus numeralibus primitivae speciei, ut *duo, tria*, etc. Ea enim, ut advertit Doctor Angeleus (*Summa*, 1. p. q. 39. art. 3. et 3. p. q. 3. art. 7. ad 2.) adiectivis addita numerant seu multiplicant sola subiecta ac proinde materialiter appellant. Sic optime dicitur: *Existunt tria visa*, licet una tantum sit visio denominans. Contra vero addita substantivis multiplicant per se solas formas, ac proinde formaliter appellant. Sic non dicuntur existere tres Dii, quippe una atque indivisibilis existit natura divina. Dixi *per se* quia consequenter possunt multiplicare etiam subiecta, cum videlicet non possunt numerari formae, quin numerentur etiam subiecta: ut si dicas, *Existunt tres homines*. Non possunt enim multiplicari supposita naturae humanae, nisi multiplicetur ipsa natura.

61. Terminorum status et ampliatio. — Status terminorum definitur: *Acceptio termini pro tempore adsignificatio per verbum ipsi adiunctum*; ut *mutus tacet, calamitas venit*. Statui opponitur *ampliatio*, seu *acceptio termini pro tempore diverso ab importato per verbum ipsi adiunctum*: ut *mutus loquitur*. Ampliatio potest habere locum dupliciter. Primo quidem sic ut terminus accipiatur solummodo pro iis, quae existunt in tempore diverso ab

importato per verbum, ut in exemplo nuper allato: atque huiusmodi ampliatio a nonnullis vocatur *distractio*. Dein vero ita, ut etsi accipiatur pro tempore diverso, minime tamen excludatur tempus verbo adsignificatum. Exemplum istius habes in orationibus significantibus inceptionem vel desitionem: exemplo etiam esse queunt orationes, quibus exprimitur praedicatum ad essentiam subiecti pertinens, ex. gr. *Homo est animal*; propositiones enim istiusmodi ampliuntur ad omne tempus etiam possibile.

62. Restrictio et diminutio terminorum. — Restrictio definitur: *Coarctatio termini ad significandam partem dimittat extensionis quam per se haberet*. Exempla sunt: *Vir fortis, Apostolus Paulus, Filius Petri*, aliaque eiusdem generis. Restrictioni affinis est *diminutio*, quae termini non extensionem, ut illa, sed comprehensionem coarctat: quae idcirco definitur: *Coarctatio termini ad significandam solummodo partem eius rei, quam de se totam significat*; ut in trito illo exemplo, *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus*.

63. Alienatio et remotio terminorum. — Ultimo loco inter terminorum proprietates recensentur *alienatio* et *remotio*. Illa est *translatio termini a propria ad alienam significationem*, ut est illud, *Vicit leo de tribu Iuda*. Haec vero est *avocatio termini ad significationem chimericam*, ut si dicas, *circulus quadratus*. Hic vero duo sunt notanda. Primo: si efformetur propositio, in cuius subiecto viget alienatio, non licet inferre propositionem, in qua subiectum tali spoliatur proprietate. Quomobrem, licet vera sit haec propositio: *Duo leones marmoris sunt in foro*, non ideo vera debet esse haec alia, *Duo leones sunt in foro*. Secundo: ex termino removente potest conflare propositio vel absoluta vel conditionalis: absoluta, si diceres, *Circulus quadratus est mirabile portentum*; conditionalis vero sic: *Si daretur circulus quadratus, existeret mirabile portentum*. Si primum contingat, negari debet suppositum, videlicet posse existere aut concipi huiusmodi circulum: unde tales propositiones dicuntur *de subiecto non suppo-*

nente. Sin vero alterum contingat, propositio admitti potest cum distinctione, ita nempe admittendo conditionatum, ut admittatur simul eius contradictorium: nec mirum videri debet, quod ex hypothesi absurda sequatur conclusio etiam absurda. Sic in exemplo nuper allato, propositio sic admitti debet; *dist.* daretur tantum, *nego:* daretur simul et non daretur, *concedo.*

ARTICULUS V.

De praedicabilibus.

64. **Ratio tractationis.** — Huc usque naturam terminorum, quantum instituta Logicae patiuntur, expendimus pro triplici quaestione quae de re quapiam institui solet, videlicet *Quid res sit, Quotuplex, Qualis?* Recta nunc doctrinae consecutio postulat, ut de logica terminorum ordinatione agamus. Id praestat Philosophus in tractatu de Categoriis seu Praedicamentis, a quo suam logicam exorditur, ut, constitutis supremis entium classibus, omnia sub suo quodque genere rite disponantur. Haec porro praedicamenta considerat tum Logicus tum Metaphysicus; diversa tamen ratione. * Dialecticus enim, ait Suarez, non considerat decem suprema entium genera, ut eorum naturas et essentias exacte declaret; id enim extra institutum eius esset, cum dialectica solum sit quaedam ars dirigens operationes intellectus, ut artificiose et cum ratione exerceantur. Unde directe ac per se agit de conceptibus mentis ut dirigibiles sunt per artem, seu de forma et ordinatione conceptuum, quatenus per artem tribui potest. Quia vero conceptus mentis circa res versantur, et in rebus fundantur, ideo de rebus tractat, non ut earum essentias et naturas declaret, sed solum in ordine ad conceptus mentis coordinandos: et hoc modo agit de decem generibus in ordine ad decem praedicamenta constituenda. Nam praedicamentum logice sum-

ptum nihil aliud est, quam generum et specierum usque ad individua conveniens dispositio sub aliquo supremo genere, quam dispositionem in ordine ad definitiones, praedicaciones, et demonstrationes conficiendas dialecticus tradit, et sub ea tantum ratione attingit res in praedicamentis constituendas, et divisionem entis in genera summa. Propter quod dixerunt multi praedicamentorum interpretes, dialecticum in praedicamentis potius agere de nominibus quam de rebus. Quod intelligendum puto, non quia nomina in praedicamentis ponantur, sed quia dialecticus magis considerat res in praedicamentis collocandas quoad *quid nominis*, quam quoad *quid rei*, quantum illi satis sit ad rerum prima capita seu genera tradenda, sub quibus alia genera seu species coordinantur. At vero metaphysicus directe et ex proprio instituto hanc tradit divisionem, ut proprias rationes et essentias rerum inquirat. (Metaph. Disp. 39. Sect. 1. n. 1.) Ut vero haec tractatio facilius evadat, necesse est praemittatur doctrina *De praedicabilibus*: sunt enim praedicabilia *generales praedicandi modi*. Traditur autem haec doctrina in tractatione quam Porphyrius Aristotelicis Categoriis praemisit, quaeque *Isagogae Porphyrii* inscribi solet. Cf. Toletum, *Log. Prooem.* Hunc agendi morem, utpote Logicae institutis accommodatissimum, sequuti, primo agemus *De Praedicabilibus*, et postea in sequenti articulo *De Praedicamentis*.

65. **Quid significet praedicare in quid vel in quale.** Ut res distincte explicetur, notanda est ante omnia quorundam voem significato quae in philosophia scholastica frequentissime occurrunt. *Praedicatio* itaque, sensu logico, nihil est aliud, quam *affirmatio alicuius de aliquo*, ut, v. gr. cum affirmo animalitatem de homine dicendo *Homo est animal*. Propositio autem negativa non tam praedicatio, quam *divisio* dicitur. Dupliciter autem contingit, videlicet *in quid* et *in quale*. Praedicatur *in quid*, seu etiam *in eo quod quid est*, illud quo apte respondetur interroganti, *quid sit res*. Hoc modo praedicatur *homo* de Petro, *virtus* de humanitate. Praedicatio huiusmodi fit

substantivae; nam rei quidditas est primum, quod in unoquoque messe intelligitur et est radix ceterorum quae ei convenient; quod autem huiusmodi est, se habet per modum substantiae sui per se stantis, ac propterea substantivae de re praedicari debet. Id vero dicitur praedicari in *quale*, seu in *eo quod quale*, quo apte respondetur in quaestione *qualis sit res?* Hoc modo praedicatur *visibile* de homine, *album* de cygno, ac generatim quaecumque de aliquo praedicantur *adjective*. Etsi enim quaedam, quae adiectivae de aliquo dicuntur, essentialiorem eiusdem notam expriment, puta cum *rationale* praedicatur de homine, id tamen ideo fit, quia saepe ea etiam, quae essentiam aliquam intrinsecus constituunt, concipimus *ad instar qualitatis* seu *formae adiacentis*. Quare omne id, quod praedicatur de aliquo in *quid*, praedicatur etiam *essentialiter*, sed non vicissim, stricte et cum rigore loquendo, licet haec duo pluries promiscue usurpentur.

66. **Praedicare per se et per accidens.** — Dicitur praeterea aliquid de aliquo *per se*, vel *per accidens*. Ea praedicantur *per se*, quae necessariam habent connexionem cum subiectis, de quibus praedicantur; ut *homo*, vel *visibile* de Petro. Duo proinde existunt modi dicendi *per se*. Primus habetur, quando aliquid inest alicui *secundum rationem propriae definitionis*; ex. gr. *animal* vel *rationale* respectu *hominis*. Huic opponitur prior modus dicendi *per accidens*, et comprehendit omnia quaecumque alicui insunt praeter rationem propriae definitionis. Alius modus dicendi *per se* ille est, quo aliquid, licet sit extra rei definitionem, necessario tamen exigitur a rei essentia; ex. gr. *visibile* respectu *hominis*. Huic etiam opponitur secundus modus dicendi *per accidens*, cum videlicet aliquid alicui inest, quod tamen nec essentiam rei constituit nec a rei essentia exigitur. Quae vero ita per se conveniunt subiecto alicui, ut conversim de eo dicantur, ita videlicet, ut de quoquoque dicatur unum dicatur et alterum, conveniunt *ei per se primo*. Ex. gr. habere tres angulos aequales duobus rectis convenit *triangulo per se primo*, isosceeli autem *per se* utique sed non *primo*.

67. **Praedicabilem numerus.** — His prae habitis, praedicabilem doctrina facile intelligitur. Porro quinque recensentur secundum quinque generales praedicandi modos, videlicet *genus*, *species*, *differentia*, *proprium*, *accidens*. Ratio est, quia quaecumque notio universalis de aliquo praedicatur, vel est de essentia subiecti vel extra essentiam. Si primum, praedicabitur vel ut tota essentia, et est *species*, ut *homo* respectu Petri vel Pauli; vel ut pars essentiae, qua res convenit cum aliis, et est *genus*, ut *animal* respectu hominis et leonis; vel ut pars essentiae, qua ab aliis speciebus discernitur, et est *differentia*, ut *rationale*, *irrationale* respectu hominis et bruti. Si secundum, praedicabitur vel ut aliquid necessario emergens ex essentia, et est *proprium*, ut *visibile* respectu hominis; vel ei contingenter inest, et dicitur *accidens*, ut *musicum* respectu Petri vel Pauli. Potest haec probatio sic etiam exponi. Universalia vel praedicantur in quaestione *quid est*, vel in quaestione *quale est*. Si primum, vel de pluribus specie differentibus, et est *genus*; vel de numero tantum differentibus; et est *species*. Sin alterum, vel per accidens, vel per se, atque hoc vel essentialiter vel secus. Si sit per se et essentialiter, habetur *differentia*; si per se quidem, at non essentialiter, erit *proprium*; si denique neque essentialiter neque per se, sed per accidens dumtaxat praedicetur, habebimus *accidens*. De singulis pauca.

68. **Definitio generis.** — Genus ab Aristotele (1. Top. c. 4) ita definitur: *Id quod de pluribus ac specie differentibus in eo quod quid est praedicatur*. Specie autem differunt, quae diversas postulant definitiones, utpote dissimilia in praedicatis essentialibus; ex. gr. *homo*, *cygnus*, *planta*. Quae vero in praedicatis essentialibus sunt plane similia, ac numerum dumtaxat efformant, solo numero differre dicuntur, ut *hic homo*, *ille homo*. Genus porro dicitur *supremum*, quod supra se non habet aliud genus, sed notiones tantum analogas, ut *substantia*; *infimum* seu *proximum*, quod infra se non habet nisi speciem, ut *animal* respectu hominis; *intermedium* denique, quod supra et infra se habet aliud genus, ut est *corpus* respectu substantiae et viventis.

69. **Quid species.** — Species sub genere collocatur ac definitur: *Quod de pluribus, solo numero differentibus, in eo quod quid est praedicatur.* Exemplo sit *homo, equus.* Patet definitio ex iis quae nuper diximus de genere; cum enim relativa sint ad invicem, unus notitia notitiam alterius praebet. Porro species simpliciter dicta ea est, quae sub genere infimo collocatur: quae vero genus supremum vel intermedium excipiunt, non dicuntur simpliciter species, sed diminuta quadam ratione, videlicet relative ad praedictum genus supremum vel intermedium.

70. **Quid differentia et quotuplex eius munus.** — Differentia, prout in praesenti accipitur, sic defini potest: *Quod de pluribus praedicatur in quale essenziale, h. e. per modum partis essentialis determinantis genus ex se indifferens ad hanc vel illam speciem.* Ita rationale praedicatur de homine. Cum enim animal sit quid potentiale et indifferens ad plures species, per hoc quod rationale dicitur, eius notio perficitur et ad speciem humanam determinatur. Quod autem est perfectivum alicuius de se ad plura indifferens, se habet ut forma qualificans, ac propterea adiective praedicatur, non quidem ut aliquid extra humanitatis essentialis existens, sed ut essentialis constitutum. Hinc triplex est differentiae munus: ipsa enim dividit genus in plures species; determinando genus, constituit speciem; et constituendo speciem, hanc distinguat a quacumque alia: idcirco dicitur *divisiva, constitutiva, et distinctiva.* Nuncupatur autem *suprema, intermedia, vel infima* seu ultima pro diversitate generis et speciei, quae ea dividitur vel constituitur ac distinguuntur.

71. **Definitio proprii.** — Proprium, universim et metaphysice acceptum, definitur ab Aristotele (1. Top. c. 4): *Quod non explicat quid res sit, soli vero inest et cum re reciprocatur.* Hoc modo se habet *risibilitas* respectu hominis, et *extensio* respectu corporis. Quod si logice sumatur, prout est quartum praedicabile, sic commode defini posse videtur: *Quod de genere vel specie per se primo praedicatur in quale non essenziale.* Dicitur praedicari de genere vel specie, quia proprium immediate emergit ex principiis es-

sentialibus rei, quae genere vel specie continetur, et ratione speciei vel generis convenit individuis quae sub specie vel genere continentur. Sic Petrus est *risibilis* quia *homo*, *extensus* quia *corpus.* Dicitur praeterea praedicari *per se primo*: habet enim necessariam connexionem, ac reciprocatur cum specie vel genere, et per hoc seernitur ab accidenti. Dicitur denique praedicari *in quale non essentielle*; praedicatur enim adiective et ut extra essentialiam existens, et per hoc seernitur, tum a genere et specie, tum etiam a differentia.

72. **Accidens metaphysicum et logicum.** — Ultimo loco habetur *accidens.* Ad cuius intelligentiam nota, dupliciter hoc vocabulum accipi in Philosophia. Primo modo, prout contradistinguitur a substantia; et haec consideratio propria est metaphysicae, unde accidens *metaphysicum* dicitur, h. e. *metaphysice inspectum.* Alio modo dicitur accidens, sensu logico, et hac ratione sumitur in praesenti. Definitur autem sic: *Quod de pluribus individuis praedicatur in quale contingenter*: contingenter vero dicitur quod contingit eidem inesse et non inesse, praeter subiecti corruptionem, ita videlicet, ut subiectum cum eo vel sine eo intelligi possit esse vel non esse. Ita habet esse *musicum* respectu Petri vel Pauli, ac generatim notae individuantes, quibus unum individuum, qua tale, ab alio seernimus. Quare differt accidens a proprio, quia illud convenit speciei vel generi, ratione individuorum, hoc vero e converso.

73. **Analoga praedictorum cum physica rei compositione.** — Ad complementum doctrinae de praedicabilibus diligenter insuper advertite, ea desumi per quamdam proportionem ad compositionem rerum naturalium. Sicut enim in generatione rei cuiusque naturalis concurrunt materia et forma, illa ut quid potentiale et indeterminatum, haec vero ut actus determinans; ex materia autem et forma fit totum compositum; ex composito rursus totius essentialis proprietates emergunt; ac ultimo tandem accidentium ornatus eidem superadditur: ita, proportione quadam, genus se habet, quasi materia, differentia ad instar formae, compositum ut species; ac propria propriis et accidentia ac-

eidentibus respondent. Hoc tamen differt inter utramque compositionem, quod physica contingit secundum ea quae realiter sunt distincta, non vero quae secundum rationes praedicabiles consideratur. * Non oportet, ait S. Thomas, secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Quia igitur anima intellectiva virtute continet id, quod sensitiva habet, et adhuc amplius, potest seorsum ratio considerare quod pertinet ad virtutem sensitivam quasi quoddam imperfectum et materiale; et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format: id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum, et ex eo format differentiam hominis. (Summa th. 1. p. q. 76. a. 3. ad 4.) Sed de hac re plenius opportuniore loco.

ARTICULUS VI.

De praedicamentis.

74. **Discrimen praedicamenti a praedicabili.** — Quae graece *κατηγορίαι*, latine *praedicamenta* dicuntur. Sunt autem, ut ait Quintilianus 3. c. 7. *elementa, circa quae versari videatur omnis questio*; et significant series generum et specierum sub uno supremo genere contentorum. Hoc vero differt praedicamentum inter et praedicabile, quod ea, quae in praedicamento collocantur seu ordinantur, sunt notiones *obiectivae* et *reales*, quae de rebus praedicantur, ac propterea terminis *primae intentionis exprimuntur*; ex. gr. *substantia, quantitas*: quae vero praedicabilia nuncupantur, et *genus* aliaque supra enumerata, sunt aliquid *logicum*, utpote consequens intelligendi modum, ac propterea sunt termini *secundae intentionis*. Ceterum ipsa formalis ratio *praedicamenti* est

secunda quaedam mentis intentio. Significat enim debitam dispositionem et coordinationem praedicatorum essentialium sub uno supremo genere contentorum: huiusmodi vero dispositio et coordinatio consequitur intelligendi modum, ac ideo pertinet ad *secundo intellecta*.

75. **Praedicamentorum numerus.** — Decem nuncrantur ab Aristotele (*Categ.* c. 2.) his verbis, * Eorum quae nulla complexione dicuntur, (h. e. quae simpliciter et incomplexam mentis apprehensionem referunt), singula aut *substantiam* significant, aut *quantitatem*, aut *qualitatem*, aut *ad aliquid*, aut *ubi*, aut *quando*, aut *sibi esse*, aut *habere*, aut *agere*, aut *pati*. Memoriae invandae causa his versiculis exprimuntur:

Arbor sex serenos ardore refrigerat ustos;

Bauri cras stabo sed tunicatus ero.

Porro, ad Logicae institutum non pertinet, ut supra monuimus, singulorum intimam naturam investigare, sed modum dumtaxat indicare, quo in singulis praedicamentis singula praedicari vel subiici debeant. Ut hoc tamen praestetur, necessaria profecto est facilis quaedam atque obvia eorum notitia.

76. **Esse in se, in alio, ad se, ad aliud.** — Est itaque imprimis observandum, praedicamenta recenseri habito respectu ad diversos essendi modos. Sunt autem duo essendi modi primo diversi, videlicet *esse in se*, et *esse in alio*. Esse in se est modus praedicamenti substantiae; esse vero in alio est modus aliorum novem praedicamentorum. Esse autem in alio dicitur ea forma, quae afficit vel modificat subiectum extra rationem seu praeter quidditatem eius existens; ut esse album respectu Petri. Quapropter de huiusmodi formis passim Philosophus ait, esse potius *entis entia*, quam *entia*: dum contra, substantia vocatur simpliciter et absolute *ens*. Sunt praeterea alii duo modi essendi, et ipsi primo diversi: quorum unus est *esse ad se*, et iste modus comprehendit tria priora praedicamenta, scilicet substantiam, quantitatem, et qualitatem: secundus vero modus est *esse ad aliud*, et ad hunc modum spectant septem reliqua praedicamenta respectiva. Relata vero ad

aliquid ea dicuntur, ait Aristoteles (*Categ. c. 5.*), *quae ipsa quidquid sunt, aliorum esse dicuntur, aut quocumque modo aliter ad aliud, puta si dicam maius, duplum, servus.*

77. Substantia primario et secundario dicta. — Ens in se, seu substantia, dicitur tum de substantia *particulari*, ex. gr. *Petrus*, tum de substantia universali specificae vel generice concepta, ex. gr. *homo*, *animal*. Primo modo accepta definitur a Philosopho, *quae neque de subiecto quopiam dicitur, neque in subiecto quopiam est.* Vocatur a metaphysicis *suppositum*, et, si naturae sit rationalis vel intellectualis, *persona*. Alio modo accepta definitur, *quae in subiecto non est, sed de subiecto dicitur*: etsi enim *homo* et *animal* dicunt aliquid in se existens, praedicantur tamen de individuis. Hinc substantia principaliter, primo, et maxime dicta, prout observat Philosophus, est substantia dumtaxat particularis. Ea enim subsistit ratione sui, universalis vero non subsistit nisi ratione singularis.

78. Quantitas et qualitas. — Haec sunt duo accidentia, quae substantiae conveniunt secundum se inspectae; quantitas quidem ratione materiae, qualitas vero ratione formae.

Quantitas porro definitur: *Accidens extensionum substantiae.* Est continua vel discreta, prout partes, in quas substantia extenditur, communi termino copulatur vel secus. Continua rursus, si una dumtaxat dimensio in ea spectatur, est linea; si binae, dicitur superficies; si denique secundum tres dimensiones accipiatur, habebit solidum, quod et *corpus mathematicum* nuncupatur.

Qualitas vero importare videtur, ut ait S. Thomas (*Summa th. 1. 2^{ae} q. 49. a. 2.*), quendam *accidentalem modum substantiae, seu determinationem substantiae ad aliquod esse accidentale secundum aliquam mensuram.* Eius quatuor species coniungatae ab Aristotele assignantur, videlicet *habitus* et *dispositio*, ut sanitas vel aegritudo; *potentia* et *impotentia*, ut facultates naturales; *passio* et *patibilis qualitas*, ut proprietates sensibiles corporum; *figura* denique et *forma*, quae ex terminatione quantitatis resultant. De singulis his speciebus late agendum in Ontologia; interim, si placet, lege S. Thomam a. cit.

79. Praedicamenta respectiva. — E praedicamentis respectivis primum est *relatio*, cuiusque munus in hoc est ut unum ad aliud referat, ut similitudo. Est *realis vel logica*, prout ex entitate rei citra considerationem mentis, vel a mentis consideratione consurgit. Huc proxime accedunt reliqua sex praedicamenta; etsi enim non sunt mera relatio, relationem tamen involvunt in suo conceptu. Nam *actio* et *passio* habentur, quatenus actus vel a principio procedit, vel in subiecto recipitur: *ubi* dicit praesentiam in loco: *quando* determinationem ad tempus: *situs* dispositionem partium in loco: *habitus* denique denominationem ductam ex indumentis vel armis vel ornamentis quibusque.

80. Categoriarum principium. — Ex dictis tria intelliguntur quae ad categoriarum coordinationem apprime faciunt. Primo itaque colligitur id, quod in praedicta decem genera distribuitur, et *categoriarum principium* dici solet. Porro huiusmodi non est nisi *ens reale, finitum, unius et completae rationis.* Est quidem *ens reale*, prout scilicet opponitur enti, cui non convenit esse, nisi ut menti obicitur, cuius generis sunt; ex. gr. impossibilia, vel privationes: haec enim proprie non sunt entia, sed quasi entia concipiuntur. Deinde dicimus *ens reale finitum*: esse enim infinitum non coaretatur ad aliquod genus entis, sed est simplicissima actualitas praehabens in se totius esse perfectionem. Addimus praeterea, id quod in praedicamento collocatur, esse *ens unius rationis*, in quo videlicet non multiplex sed una intelligibilis ratio obiectiva invenitur. Quod enim non est huiusmodi, ex. gr. *homo albus*, sub duplici praedicamento collocari debet; aliud enim est praedicamentum, in quo ponitur prout *homo*, videlicet substantia, et aliud quatenus *albus*, qualitas videlicet.

81. Categoriarum distinctio. — Colligitur secundo, ut scite animadvertit J. B. De Benedictis: "Numerum praedicamentorum non desumi ex numero rerum, sed praedicatorum primo intentionalium quae de re dici possunt: et haec rursus distingui ex numero questionum quae de prima substantia possunt institui. Quia enim de prima substantia inquiri potest primo *quid sit*, quodcumque praed-

dicatum huic interrogationi reponitur, pertinet ad praedicamentum substantiae, illudque constituit, ut esse lapidem, equum, vel hominem. Quae vero praedicata reponuntur interroganti, *quantum est*, statuuntur in praedicamento quantitatis, ut esse bicubitum, tricubitum: illa per quae respondetur interroganti per *Quale*, sunt in praedicamento qualitatis, ut esse album, calidum, dulce: per quae vero respondetur interroganti per *Ad quid*, sive per *Cuius*, aut similia (deest enim generale unum nomen omnes relativae interrogationes complectens), sunt in genere relationis, ut maius aut minus, pater aut filius; atque ita de reliquis praedicamentis. Convenienter porro alia omnia praedicamenta explicantur per ordinem ad primam substantiam; totum enim accidentis et esse et cognoscibile esse explicatur per ordinem ad substantiam, in qua est, et per dei de substantia quam denotat. Quod si in hoc ipso dicendi modo quaeratur huius divisionis ratio, dari difficile potest, ut ex Avicenna docet Suarez (*Metaph. Disp. 39. sect. 2. n. 16*), et idcirco nunquam Philosophus eam probare conatus est, sed eam ut communiter admissam semper supponit: quod a nobis etiam fieri a fortiori potest. Convenientia autem eiusmodi divisionis ea dari potest, quod nulla sit interrogatio factibilis de prima substantia, quae non ad unam ex his decem reducatur: adeoque nullum est praedicatum substantiae, quod non sub uno ex his decem sit. (*Philos. to. 1. lib. 2. c. 4.*)

82. **Quae per se et directe, quae vero per reductionem sub praedicamento collocentur.** — Colligitur tertio, alia per se et directe sub praedicamento collocari, alia vero reductivae dumtaxat. Primo modo in unaquaque categoria ordinantur ea, de quibus supremum genus secundum perfectam sui rationem praedicatur, et huiusmodi sunt individua, et horum species ac genera intermedia. Quae vero ad haec se habent, sicut principia componentia, recensentur in eo praedicamento, sub quo constituuntur, sicut partes vel inchoationes: et haec dicuntur esse in praedicamento reductivae. Eiusmodi sunt inprimis differentiae: de ipsis enim non praedicatur genus, sunt tamen consti-

tutivae individuorum et specierum de quibus genus praedicatur: deinde materia et forma, quae sunt principia speciei, ac partes integrantes quae sunt principia individuorum: denique ea, quae licet non sint partes rei in praedicamento collocatae, sunt tamen *via ad* illud, quemadmodum corruptio et generatio pertinent ad praedicamentum substantiae, alteratio ad qualitatem, ac generatio motus ad praedicamentum illius rei ad quam motus vel mutatio fit.

83. **Coordinatio categoriae substantiae.** — Ut ea quae diximus de ordinatione praedicamentali facilius intelligantur, iuvat exemplum afferre in prima categoria, ex qua iudicium fieri potest de reliquis. Porro in hac categoria, tanquam supremum genus, ponitur substantia, videlicet ens quod habet esse non in alio sicut in subiecto. Haec statim dividitur in *materiam* et *imaterialem*. Haec differentiae una cum genere constituunt duo genera intermedia, videlicet *corpus*, et *spiritus*. Relicto *spiritu* qui in varias species Angelorum dispartendum foret, alterum genus, nimirum corpus, dividitur in *animatum* et *inanimatum*. Corpus inanimatum in species innumeras mineralia partitur: per alteram vero differentiam, animati videlicet, constituitur in specie *vivens*, prout hoc nomine accipitur substantive ratio corporis simul et vitae. Vivens autem ulterius dividitur in insensitivum, de quo botanica; et *sensitivum*, quae differentia una cum suo genere constituit speciem *animalis*. Animal vero ulterius aliud est *irrationalis*, aliud *rationalis*. Relicto animali irrationali, seu bruto, quod est zoologiae obiectum, sumitur differentia *rationalis*, quae suum genus constituit in specie hominis. Haec species infima est, quippe non nisi individua sub se continet, nimirum supposita humanae naturae. Ad imaginationem iuvandam, descripta coordinatio sequenti figura exprimitur, quae arbor *Porphyrus* nominatur; ab ipso enim magna ex parte desumitur, demptis erroribus quos ipse ei admisit.

Arbor Porphyriana.

	SUBSTANTIA	
<i>materialis</i>		<i>immaterialis</i>
	CORPUS	
<i>animatum</i>		<i>inanimatum</i>
	VIVENS	
<i>sensitivum</i>		<i>insensitivum</i>
	ANIMAL	
<i>rationale</i>		<i>irrationale</i>
	HOMO	
<i>hic homo, ille homo</i>		

ARTICULUS VII.

De divisione dialectica.

84. **Consecutio ad praecedentia.** — Egimus in duplici articulo praecedenti de logica coordinatione terminorum seu conceptuum. Remanent nunc explicanda duo praecipua media, quae a dialectica suppeditantur, ut huiusmodi ordinatio rite habeatur, et quae ad primam mentis operationem referuntur. Haec sunt *divisio dialectica* et *definitio*. Nam ope divisionis consultur imbecillitati humanae mentis, quae non potest uno intuitu res complexas percipere. Per definitionem vero cum sciatur quid unum-

quodque sit, suis cuique locus in subiiciendo et in praedicando tribui potest. De divisione in praesenti articulo; de definitione vero in sequenti agemus.

85. **Quid divisio dialectica.** — Divisio de qua dialectica agit, nihil est aliud quam *Oratio totum aliquod in suas partes distribuens*. Dicitur *oratio*, ut significetur, non esse hic sermonem de divisione reali, cuiusmodi, ex. gr. ea est quae analysi chimica peragitur, vel instrumento aliquo mechanico, sed dumtaxat de peculiari quodam sciendi modo, qui a logica suppedatur. Totum universum definitur *id, cui nihil deest eorum ex quibus constare debet*: partes vero sunt ea in quae ipsum dividitur vel dividi potest. Totum, prout dialecticae divisioni subiicitur, dicitur *divisum*; partes in quas distribuitur, *membra dividenda*; complexus vero harum partium oratione expressus, est id quod proprie dicitur *divisio*. Quapropter si dicam, ex. gr. *Homo constat ex corpore organico et anima intellectiva*, divisio proprie non est integra propositio, sed eius praedicatum dumtaxat; licet quandoque ipsa etiam integra propositio divisio dicatur.

86. **Divisio vocis, seu distinctio.** — Divisio alia est *vocis*, alia *rei* per vocem significatae. Illa proprie dicitur *distinctio*, et enumerat varias unius vocis seu etiam orationis significationes; ut si dicas, huius vocis *natura*, alia significatio est qua nativitatem; alia, qua principium huius nativitatis; alia, qua internum principium motus cuiusque sensibilis; alia denique, qua essentiam significat. Hae autem significationes non debent esse aequae principales, sed tales ut aliquam habeant unitatem vel ordinis, vel proportionis, vel attributionis, ut videre est in exemplo allato. Nequit enim dividi quod nullo modo est *unum*. Quocirca nomina stricte aequivoce divisioni non sunt obnoxia, nisi forte quis velit dicere, eorum multipliciter esse quasi unum, ratione scilicet unius vocis materialiter sumptae.

87. **Totum universale, integrale, potestativum.** — Divisio autem *rei* varia esse potest pro diversitate totius dividendi. Est autem triplex totum secundum triplicem

totalitatis modum, videlicet *universale, integrale, et potestativum* seu *potentiale*. Universale est quod in plura dividitur, de quibus singulis seorsum praedicari potest, ut est quaelibet notio universalis respectu eorum, quae sub sua extensione continet (1). Totum integrale definitur a S. Thoma (5. *Metaph.* lect. 21.), *quod ex partibus constituitur unum ita ut non quaelibet pars sit unum illud*. Hoc modo se habet, ex. gr. domus respectu fundamenti, parietum, et tecti. Totum denique potestativum seu potentiale ita nuncupatur quod dividitur in partes virtutis, quae quidem partes ex diversis operationibus accipiuntur. Exemplo sit anima respectu suarum facultatum. Hoc totum, potentiale nimirum, ait S. Thomas: "medium est inter totum universale et totum integrale. Totum enim universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut animal homini, et ideo proprie de singulis partibus praedicatur. Totum vero integrale non est in quolibet parte neque secundum totam essentiam neque secundum totam virtutem; et ideo nullo modo de singulis partibus praedicatur, sed aliquo modo licet improprie de omnibus simul; ut si dicamus quod paries, tectum, et fundamentum sunt domus. Totum vero potentiale adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam virtutem; et ideo quodammodo potest praedicari de qualibet parte, sed non ita proprie sicut totum universale: et per hunc modum Augustinus dicit, quod memoria, intelligentia, et voluntas sunt una animae essentia." (*Summa th.* 1. p. q. 77. a. 1. ad 1.)

88. **Partes totius integralis.** — Totum integrale ulterius dividitur pro diversitate partium, quae in eo con-

(1) Recentiores in re praesenti paulo aliter loquuntur. Nos modum loquendi Doctorem Scholasticorum, ac nominatim D. Thomae, sequuti sumus eo praesertim consilio, ut adolescentes scholasticum sermonem non ignorent. Id praecipue requiritur, ut ratio loquendi Aequitatis perspecta habeatur, qua utitur in secunda parte Summae theologiae, ubi agit de divisione virtutum.

siderantur. Hae vero aliae sunt *quantitativae*, qua ratione dividitur numerus aut magnitudo: aliae vero *essentiales*, sicut forma et materia respectu compositi quod inde exurgit. Huiusmodi porro partes sic dicuntur vel *physicae*, cuiusmodi est materia et forma in substantiis compositis; vel *logicae*, seu per mentis praecisionem, quales sunt genus et differentia, prout sunt constitutiva speciei, ex. gr. *animalitas* et *rationalitas* respectu hominis. Cf. S. Thomam (Qq. Disp. *De Spir. creat.* a. 4. *De anima*, a. 10).

89. **Divisio per se et per accidens.** — Diversa genera totius huc usque enumerata dupliciter subici queunt dialecticae divisioni, *per se et per accidens*. Per se fit divisio, si partes assignantur, ea ratione inspecta, qua revera sunt partes, h. e. concurrunt ad totum constituendum; per accidens vero, si enumerantur secundum aliquod praedicatum accidentale, quod videlicet non est de ratione seu definitione earum, quatenus sunt partes. Exemplo rem perspicies. Per se itaque divides, si dicas, ex. gr. *Bonum potest esse honestum, utile, vel delectabile; Homo constat corpore organico et anima intellectiva; Animae humanae duplex est pars, inorganica nempe, et organica*: erit contra divisio per accidens, si dicis: *Bonorum quaedam sunt in anima, quaedam in corpore, quaedam in rebus externis; Homo constat parte corruptibili et incorruptibili; Animae humanae duplex est pars, alia ex necessitate operatur, alia vero libere*.

90. **Leges divisionis.** — Panca nunc de legibus, quae servari debent, ut divisio recte fiat. Ad quatuor revocari possunt.

1^a **Divisio sit adaequata.** — In divisione enim membra dividencia se habent ad divisum, sicut partes ad totum. Partes vero simul sumptae debent adaequare totum. Hinc divisio non debet esse neque superflua, neque diminuta, videlicet non debet peccare neque excessu, neque defectu. Peccaret excessu, si membrum aliquod ei admisceretur ad totum, quod dividitur, minime pertinens; defectu vero, si membrum aliquod omitteretur.

2^a **Nullum membrum divisionis sit per se totum**

diviso aequale, multoque minus illud excedat. — Sequitur ex regula praecedenti. Est praeterea principium per se notum quod *Omne totum est maius sua parte.*

Dices fortasse. Cum homo animalitate et rationalitate constare affirmatur, primum membrum huius divisionis, scilicet *animal*, excedit divisum: latius enim patet, quam *homo*. Respondeo, in divisione alata animal considerari, ut partem *totius integralis*; latius vero patet, quatenus est *totum universale*. Iam vero nihil prohibet unum idemque secundum diversas considerationes esse totum et partem. Apposite S. Thomas: "Dicendum, quod universale magis commune comparatur ad minus commune, ut totum et ut pars. Ut totum quidem, secundum quod in magis universali non solum continetur in potentia minus universale, sed etiam alia, ut sub animali non solum homo, sed etiam equus. Ut pars autem secundum quod minus commune continet in sui ratione, non solum magis commune, sed etiam alia, ut homo non solum animal sed etiam rationale." (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 3. ad 2.*)

3^a **Unum divisionis membrum alterum non includat.** — Secus falso affirmares membrorum divisi aliud esse hoc, aliud vero illud. Neque obstat huic regulae exemplum supra allatum, quo videlicet bonum dividitur in honestum, utile, et delectabile. Licet enim eadem res possit esse bona triplici hac bonitate, ex. gr. virtus, non est tamen eadem uniuscuiusque ratio obiectiva. Apposite rursus Angelicus Doctor: "Haec divisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes. Dicuntur enim illa proprie delectabilia, quae nullam habent aliam rationem appetibilitatis nisi delectationem, cum aliquando sint noxia et inhonesta. Utilia vero dicuntur, quae non habent in se unde desiderantur, sed desiderantur solum, ut sunt deventia in alterum, ut sumptio medicinae amarae. Honesta vero dicuntur quae in seipsis habent, unde desiderantur." (*Summa th. 1. p. q. 5. art. 6. ad 2.*)

4^a **Quoad eius fieri potest, divisio sit brevis.** — Secus non erit modus sciendi sed confundendi. Huic tamen regulae non adversatur qui primo dividit totum

in pauca membra eaque proxima et immediata, ac dein singulas partes in sua membra ulterius subdividit, et haec iterum in alia, quousque distincta notitia singulorum habeatur. Id enim non est divisionem conficere prolixam, sed divisiones breves et commodas multiplicare. Sed in hoc etiam, sicut in ceteris, modus servari debet. "Simile enim confuso est quidquid usque ad pulverem sectum est," ait Seneca, *Epist. 89.*

ARTICULUS VIII.

De definitione.

91. **Quid sit et cur ita vocetur.** — Definitio nihil aliud est nisi *oratio significans quid res sit.* Nomen accepit a termino seu terminando. Quemadmodum enim res omnis suis quaeque terminis seu confiniis concluditur et ab aliis separatur, ita per definitionem propria cuiusque rei natura menti exhibetur ita ut nihil, quod ad eam non pertinet, superabundet, nec quidpiam, quod ad eam pertinet, desideretur. Est et alia ratio, cur ita nominetur. "Incipit enim, ait S. Thomas, cognitio rei ab aliquibus signis exterioribus, quibus pervenitur ad cognoscendam rei definitionem; quo cum perventum fuerit habetur perfecta cognitio de re." (5. *Metaph. lect. 19.*)

92. **Definitum proximum et remotum.** — Id, cuius essentia vel natura per definitionem explicatur, dicitur *definitum*. Quare, licet terminus, quo significatur definitum, distinguatur a termino sive oratione quae definitionem continet, id tamen quod utroque significatur, est idem diversimode expressum, videlicet confuse per definitum, et distincte per definitionem (1). Duplex autem

(1) Ad rem S. Thomas. "Dupliciter definitio potest considerari, vel secundum id quod significatur per definitionem, vel secundum